

EPISTOLA DEDICATORIA
AD
R E G E M R E G U M
ET
DOMINUM DOMINANTIUM
JESUM CHRISTUM,
FILIIUM DEI.

DUM tua in me vltimum homunculum beneficia peculiaria meditor, JESU CHRISTE, penitus obstupesco, stant comæ, voxque faucibus hæret, dum ad tuam laudem & gloriam, meamque confusionem ea enarrare, tibi gratias agere desiderat anima mea.

Tu enim me fecisti non lapidem, neque plantam; neque Brutum, sed hominem, non Atheum, non Idololatram, non Mahometanum, non Judæum, sed Christianum; non Hæreticum, non Schismaticum, sed Catholicum; non stupidum, sed ad veritatem inquirendam propensum, ac idoneum; non ignarum, sed scientiarum quarumcunque amantissimum, cuique tua præ cæteris doctrina atque Religio, ut verum animæ pabulum, perplacuit: Quamvis dum tuæ Legi mente servio, carne, (heu miser!) serviam Legi peccati. Tu mihi de necessariis ad vitam paternâ bonitate sic providisti, ut quamvis de divitiis comparandis nunquam sollicitus fuerim, tamen à pueritia huc usque extra Patriam degenti nihil necessarium mihi adfuerit, sed propriâ industriâ atque parsimoniâ sine fraude vel avaritia me à penuria & creditoribus liberaverim, imò reservaverim, unde consanguineis lubenti animo benefecerim.

Tu me olim gravibus peccatis irretitum etiam acriter aliquoties corripuisti, at perdere summa tua bonitate ac patientia noluisti, meque non obstante futura ingratitude mea tibi cognita plusquam vigesies à mortis violentæ periculis magnis, ferro, aqua, præcipitio, carapulta, aliisque modis, & consequenter ab æterna morte misericordia tua infinita liberasti: Quæ pericula præterita, meamque ingritudinem quoties recolo, totus ad ossium usque medullas horrore concutior; cupioque dissolvi in gratiarum actiones tibi æternùm referendas,